

flagello terrae motus, peste, fame et bello; quaeritur: utrum recitari debeant et quo loco apponendae?

S. eadem C. R. . . . respondendum censuit:

„Affirmative et ponendas esse post versus: *A fulgure et tempestate.*“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 1.

Die 11. Sept. 1847.

MAGISTER CAEREMONIARUM.

(Electio, Gestus, Habitus, Munus.)

Vd.: *Caeremoniarius.*

Curabit Episcopus, ut duo, si fieri possit, de gremio suae Ecclesiae, aspectu et statura corporis convenienti et multo magis scientia et bonis moribus praediti, experti et dociles assumantur, quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in Presbyterali ordine constitutus, bonis artibus instructus, et si fieri posset, juris Canonici vel Theologiae intelligentiam habeat, divinorum officiorum ac rituum Ecclesiasticorum assiduus et diligens perscrutator. Is erit inprimis sollicitus circa personam Episcopi aliarumque personarum dignitate aut nobilitate praestantium, ut eis praesto sit, si quid petant aut si qua de re admonendi erunt; ac nihilominus omnia circumspiciat, singulorum munia perpendat. Quando autem erunt celebranda officia, quae non ita frequenter occurrunt, et quae solemniori ritu apparatusque peragi solent, praesertim quando ad ea accederent Magnates, ut Cardinales, Principes, Duces et similes, per diem aut plures dies antea praesens

c) Mutatio.

Ad dubium: An liceat in quodam Oratorio publico decantare Lytanas non integras sed abbreviatas et diminitas invocando aliquos ex Apost., nonnullos ex Martyribus et ita de Confessoribus et Virg. relinquendo prorsus alias preces, nempe: *Propitius esto etc.* cum sequentibus? S. C. resp.: Non licere. n. 2681 die 3. Mart. 1674.

M.

videat et intelligat, an omnia recte disposita et ordinata sint, quae ad celebrationem spectant, nempe an ecclesia, altare, abacus, sedes Pontificalis, Canonico Magistruumque sedilia sint decenter apparatus ornatique; an cetera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacrae vestes, Paramenta et vasa, candelabra, cerei, funalia aliaque utensilia sunt suo quaeque loco praeparata et congrue disposita juxta normam et regulas Caeremonialis Episcopalis, nec gravetur aliquando (cum viderit necessarium) etiam suis manibus adjuvare ministros ceterosque omnes, quorum opera uti oportebit; praemoneat atque instruat, quos opus fuerit, exhibitis etiam shedulis, si quid enim erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni caeremoniario imputari solet. *Alter vero junior*, qui saltem in sacro ordine sit constitutus, praecipuam curam geret circa personam celebrantis ac ministrorum illius; cumque opus erit aliquos ducere aut reducere, faciat id modeste et discrete submissa voce ac solo nutu, si fieri possit, quaecunque agenda sint, demonstrans; non discurret velociter, non caput volvat aut manus jactet indecenter; caveat demum, ne in suis actibus affectationis vitio

notetur, sed quidquid aget, cum gravitate et congruenti mora ac cum decoro corporis gestu ita peragere curabit, ut caeteris devotionem et reverentiam pareat ipseque ab omnibus commendari mereatur; unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia ac silentio corrigere et supplere studeat; ambo simul convenient, antequam in ipso rei gerendae actu sint; provideant, quae sint agenda, ac onera inter se partiantur, concordisque sint, ne reprehendi ab aliis jure possint, qui docere et instruere omnes debent. Satius est enim unum quam plures esse, nisi fuerint concordēs. Eorum habitus sit honestus et clericalis ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum Divina officia celebrantur, cottam mundam induent. Ad eorum quoque officium spectabit, praesertim ubi non adest particularis Magister chori, curare ut intra Chorum nulla fiant colloquia, nec sint, qui risu aliove incomposito seu minus modesto actu rem Divinam turbent, non qui cum caeterorum scandalo dormiant, litteras aut alias scripturas legant, sed nec libros aut ipsum Breviarium aut Diurnum in manibus habeant, ut ex illis privatim horas aut orationes recitent, sed illas alta voce una cum Choro dicant aut cantent, et ad id librum habere permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, ut, cum alii stant, aliquis sedeat vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter Divinis Mysteriis atque officiis assistere eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur ac silentium diligenter servetur. Quae omnia ut sine contradictione quietius perficiantur, Episcopi cura erit, omnes tam Canonicos quam alios de choro praemonere, ut ipsis Caeremoniariis in his, quae ad cultum Divinum spectant, sine

contradictione obediant; nec tantum eorum verbis aquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu aut levi aliquo signo vel intuitu, quod agendum sit, significantibus statim pareant.

Alia vera nonnulla, quae ad ipsum Caeremonarii officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum et ad altare, ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum aliosque omnes tam majores quam minores ministros, quorum opera in re sacra aut alibi requiritur, inferius suis quaeque locis in operis cursu exponuntur.

Si ecclesia sit ampla et numero Clericorum ac beneficiarum abundans, possent arbitrio Episcopi aut juxta consuetudines Ecclesiarum aliqui ex ejusdem Ecclesiae gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus, tam in choro, quam extra ipsos Caeremonarios adjuvarent; velut indicendo silentium populo atque occurrendo, quoad valerent, tumultui et scandalis, quae forte in ipsa Ecclesia oriri possent; atque etiam circumspiciendo per totam Ecclesiam, ne quid indecenter fiat, neve extinguantur lampades et cerei, aut ne flamma ex Cereis ultra modum profluat vel quid indecorum super altaribus aut aliis in locis eveniat.

Item viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo et separando, ordinem sessionum inter Laicos advertendo eosque admonendo, quando surgere, sedere vel genuflectere debeant, aliaque hujusmodi praeviendo et operando, prout opportunum erit: atque a dictis duobus Caeremonariis, cum opus erit, admonebuntur, quibus praeterea subditi et obedientes esse debeant, et ut ab omnibus cognoscantur eorumque officium commodius ac majori cum auctoritate exercere et exequi valeant, posset eis concedi usus aliquarum ferularum serico vel panno tectarum, cum aliquibus

ornamentis aut Insignibus Sancti Patroni vel Ecclesiae vel Episcopi componendarum, quas semper manibus gestarent. Ut autem ipsi Caeremoniarum magistri necessariis rebus pro victu et vestitu juxta eorum statum non indigeant animumque diversis curis et perturbationibus defatigare et distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti omni studio et diligentia ac toto pectore in commissam ipsis curam et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus ut ipsis constituatur aliquod certum et competens stipendium; et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria; item aliquibus privilegiis et praerogativis decorentur, ut promptiori animo suo muneri satisficiant ac libros necessarios sibi comparare possint videlicet: Pontificale et Caeremoniale Romanum; Caeremoniale Episcoporum; De Mysteriis Missae Innocentii Papae III., Rationale Divinorum Officiorum; Joan. Stephanum Durantum de Ritibus Ecclesiasticis diversosque alios Auctores de officiis Divinis, tam antiquos quam recentiores aliosque plures, quos sibi opportunos judicabunt, ut non solum actione et opere sint parati, sed etiam cum opus fuerit de his, quae fiunt, rationem reddere, quoad fieri possit, valeant. Caer. Ep. I. I. c. V.

MAGISTER CAPELLAE.

Vd.: *Musica*; *Cantores*.

Nulla modo convenire, ut Magister Capellae (quamquam sit Beneficiatus) incedat cum Beneficiatis; sed debere ire et incedere cum Cantoribus. n. 434 die 20. Novb. 1610.

Non esse a primo decreto recedendum, sed debere Magistrum Capellae cum suis Cantoribus incedere immediate (ut Clerici) post crucem ante

ipsum Beneficiatus. n. 435 die 15. Jan. 1611.

Magistro Capellae Cathedralis Gerundensis jubilato concedenda est gratia fruendi iisdem insignibus et praeminentiis in choro et aliis functionibus, quibus ante jubilationem fruebatur et gaudere potest eadem praecedentia et insignibus cum Beneficiatis ejusdem Cathedralis etiam in omnibus ecclesiasticis functionibus, quae fiunt in Ecclesia s. Lucae. n. 4033 die 14. Maji 1735.

MAGISTRATUS.

1) Accessus ad Ecclesiam.

Vd.: *Laici* (associatio); *Aspersorium Laicorum*; *Praeses* c. III. IV. X.

2) Accipiens candelas, cineres etc.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Modus accipiendi etc.)

3) Aquam Episcopo porrigens.

Vd.: *Lavabo*; *Ablutio manus Episcopi*.

4) Associatio in I. ingressu Episcopi.

Cf.: *Episcopus* (accessus primus etc.); *Episcop.* (associat. — 3 access. Ordo inced. decr. n. 4597 nota.)

Pro parte Archiepiscopi Arborensis supplicatum fuit, quatenus dignaretur demandare cum speciali decreto et censuris, quod renovando pro Archiepiscopo caeremonias sui I. ingressus in civitate Oristanae, servetur a Magistratu et aliis illius civitatis caeremonia solita associandi Archiepiscopum sub baldachino a janua civitatis usque ad Ecclesiam Cathedr., non obstante epistola Philippi II. Regis in contrarium disponente. S. C. mandavit: ut servetur Caer. Ep. et Rituale rom. c. 2. de ingressu Episcoporum. n. 3108 die 4. Maji 1686.

Magistratus et Officiales cum civibus et populo Episcopum in porta debent excipere. Episcopo induto paramentis Ordo procedendi erit. Equitabunt primo cives omnes, deinde familiares Episcopi, tum Magistratus et Officiales civitatis, Barones et Principes, si qui aderunt. Caer. Ep. I. I. c. II.

5) Pax.

Cf.: *Pax Laicorum*; *Instrument. pacis*.

Pacem Magistratui esse dandam cum Instrumento per aliquem ex Clericis, cotta indutis. n. 1032 die 24. Novb. 1635.

Magistratui Velitrarum dandam esse pacem cum Instrumento ab aliquo Ministro superpelliceo induto. n. 3915 ad 3 die 10. Sept. 1718; n. 4035 die 25. Junii 1735.

6) Praecedentia.

Cf.: *Processio* (tecto etc. capite); *Reliquiae* (Laici det. etc. cap.); *Baldachinum* (ingressus etc. decr. n. 4139); *Coena Dom.* (Communio Laicor.; decr. n. 5203); *Canonici* (praeced. super laicos); *Praeses* (c. III. IV.); *Magistr.* (Praesent.)

In processionibus, dum ponitur pro Episcopo genuflexorium et hinc inde a lateribus duo scamna, dignior locus Canonici dandus est. n. 647 die 18. Julii 1626.

Quando Canonici *Collegiatae* in funeribus et aliis actis publicis non interveniunt collegialiter, nec cum habitu canonicali, sed ordinario et uti singuli, praecedentiam debere Magistratui. n. 741 die 12. Junii 1628.

Quandocunque in Ecclesiis et alibi Archidiaconum et Praepositum et Capitulum simul esse contigerit, debere eisdem praecedentiam supra Magistratum. Ubi vero sit Corpus Magistratus, Archidiaconus autem vel Praepositus aut Canonici uti singuli praecedentiam debere Corpori Magistratus; et ubi per-

sonae Magistratus fuerint uti singulae, etiam in habitu et cum servis Magistratus, debere praecedentiam Archidiacono, Praeposito et Canonici pariter uti singulis stantibus vel incedentibus aut sedentibus. n. 1323 die 25. Apr. 1641; n. 1416 die 24. Sept. 1642.

Capitulo Metropol. Capuae debetur praecedentia super Magistratu saeculari in omnibus functionibus ecclesiasticis. n. 3545 ad 1 die 23. Jan. 1700.

Canonicos Sacris indutos Magistratui in omnibus praefereandos esse. n. 1911 die 13. Julii 1658.

Vicarius gener. . . . vel post Episcopum incedere debet in processionibus, nisi quando Magistratus sit in quasi possessione incedendi eodem loco immediate post Episcopum. n. 1923 die 7. Sept. 1658.

Piores Magistratus Oppidi s. Victoriae in actu visitationis Episcopi incedere debere ante crucem, ut praescribit Caeremoniale. n. 3084 die 24. Mart. 1685.

Ad dubium: An in solemnibus Supplicatione SSmi. Corp. Chr. Gubernator et Magistratus cum Intortitiis accensis incedere possint immediate post SSnum. Sacramentum ad instar Majorum Magistratum? S. C. respondendum esse censuit:

„Negative ad tramites Caeremonialis lib. 2. cap. 33. §. 5.“

Atque ita rescripsit ac in omnibus servari mandavit die 27. Aug. 1836. n. 4794 ad 5.

7) Praesentia et obsequia Episcopo praestanda.

Vd.: *Magistratus* (sedes decr. n. 3988); *Praeses*. (cap. III. IV.)

Magistratum teneri ad accedendum ad Ecclesiam Cathedr. in solemnibus festivitatibus. n. 1624 die 20. Maji 1651; n. 2244 die 4. Aug. 1663; n.

3410 die 19. Jan. 1697; n. 4015 ad 2 die 9. Maji 1733.

Magistratum cogi non posse ad praestanda solita nisi diebus, quibus alia hujusmodi obsequia Episcopo praestare consueverit. n. 2201 sine dato.

Magistratum Faventinae debere in solemnioribus festivitatibus et aliis diebus solem. per annum ire ad Ecclesiam Cathedr. et Episcopo ad Ecclesiam accedenti debitum obsequium praestare. et quatenus opus sit opportunis remediis cogendum esse. n. 2780 die 30. Maji 1676; n. 2796 die 13. Junii 1676; n. 3207 die 11. Mart. 1690; n. 3218 ad 2 die 10. Junii 1690; n. 3324 die 19. Decb. 1693 *cum appendice*: tam in accedendo ad Ecclesiam quam in redeundo ad Palatium. Idem decretum pro Magistratu civitatis Carpentoraten. sub n. 3606 die 3. Decb. 1701. n. 3611 die 21. Jan. 1702.

Ad relationem, quod Magistratus Amerinae se abstineat in praestando obsequia sub praetextu, quia Episcopus renuat cedere eidem praecedentiam manus dexteræ praetensam, quando accedit ad illum recipiendum a propria habitatione, quod duo Praedecessores fecissent, S. C. resp.: Non tuius neque licere Magistratui praesens praecedentiam et servandum esse Caeremoniale et Magistratum posse ab Episcopo debitis remediis cogi, ut accedat. n. 3081 die 10. Febr. 1685.

In associatione Episcopi omnino servandum esse Caerem. Episcop. (Lib. I. c. XV.) nempe: Magistratum saecularem incedere debere *immediate ante Episcopum* . . . in contrarium non obstantibus quibuscunque. n. 3269 die 26. Apr. 1692.

Magistratus civit. Fulginat. ne discedat ab Ecclesia sed expectet benedictionem Episcopi, post absolutam missam pontif. n. 3336 ad 1 die 7. Aug. 1694.

Cum inter Episcopum, Canonicos

Ecclesiae Cathedralis ex una, et Gubernatorem et Magistratum Camerinen. ex altera partibus, ortae sint nonnullae controversiae super praeeminentiis, Emi. et Rmi. Dom. Cardinales de Carpineo et Petruccius a S. R. C. specialiter deputati censuerunt, ut infra-scripta Decreta alias emanata, et Caeremonialis constitutiones a partibus praedictis omnino servari debeant. Magistratus in solemnioribus Festivitatibus a Caeremoniali praescriptis, absente Gubernatore, habita hora a Magistro Caeremoniarum seu alio Ministro, usque ad portam cubiculi Episcopi, quod dicitur Anticamera, accedere debet, eundem cappa indutum ad Ecclesiam comitabitur, et peractis functionibus ad portam majorem ejusdem palatii pariter comitabitur; et Episcopus monitus de adventu Magistratus ei obviam procedet et ad Ecclesiam perget.

Praesente vero Gubernatore, Magistratus et ipse Gubernator obviam procedent Episcopo egredienti usque ad portam Palatii ipsius Episcopi, et in accessu ad Ecclesiam Gubernator erit ad sinistram Episcopi, et idem in recessu servabitur.

E conspectu Altaris SSmi. Sacramenti, factis inter se debitis salutationibus, Episcopus ad genuflexorium stratis et pulvinis ornatum preces effundet, et hinc inde ad latera Canonici, Gubernator et Magistratus ad consueta eorum sedilia pergent, ibique genuflexi versus Altare SSmi. Sacramenti orabunt, et quando Episcopus ad Chorum perget, stantes ipsum Episcopum transeuntem salutabunt, et idem ordo servandus, etiam absente Gubernatore. Si vero Episcopus per parvam portam perget, Magistratus ad eandem portam accedere et comitari debeat. Magistratus non debet genuflectere supra panniculum, quod omnino prohibuit S. R. C. die 9. Novembris 1686. Nulla Canonici assistentia debetur Episcopo,

quando ad Ecclesiam accedit et per eam incedit, dum est Cappa indutus; secus vero, quando est cum paramentis sacris, et tunc Gubernator et Magistratus erunt post Episcopum. Ita C. S. R. in una Interamnen. loquente de Gubernatore Praelato 29. Martii 1659.

Magistratus, prout in Caeremoniali tum absente tum praesente Gubernatore, Episcopo in lotionem manuum servire debeat.

Quando Episcopus Conciones audit, nulla Canonici assistentia ei debetur, et tunc Gubernator sedere debeat prope Episcopum in Sede cameralli consimili in eadem linea, extra tamen baldachinum, et dummodo neutra sedes sit coloris rubei.

Accedente Gubernatore in habitu ad Ecclesiam, aliquis Ecclesiae Minister cotta indutus porriget eidem aquam benedictam.

Et ita declararunt et censuerunt, ut haec omnia ab Episcopo, Gubernatore et Magistratu servari debeant. Quae quidem Decreta ab Emis. et Rmis. Dom. Cardinalibus de Carpineo et Petruccio, ut supra deputatis, edita, in S. R. C. relata, licet partes non acceptassent, S. eadem R. C. approbavit et per modum concordiae inter Episcopum, Gubernatorem et Magistratum Civitatis Camerini omnino servanda esse mandavit. 3468. Die 19. Aprilis 1698.

Ad dubia: 1. An Magistratus et Consul S. Severini, absente Dom. Gubernatore, accedere debeant in festivitatibus solemnibus ad januam cubiculi nuncupat. l' Anticamera Palatii Episcopalis et ibidem recipere nec non associare Episcopum cappa indutum accedentem ad Ecclesiam, ad effectum pontificaliter celebrandi vel solemniter assistendi, et eundem recedentem associare ad januam majorem ejusdem Palatii?

2. An Magistratus et Consul teneantur accedere ad januam secretam Palatii adjacentem Choro Cathedralis et ibidem recipere Episcopum indutum cappa, Capitulo et Clero associante, ad effectum pontificaliter celebrandi vel solemniter assistendi?

3. An Magistratus et Consul existentes in Ecclesia teneantur usque ad januam ejusdem Ecclesiae obviam ire Episcopo habitu Episcopali Ecclesiam ingredienti et eundem recedentem associare ad eandem januam Ecclesiae?

Et S. eadem R. C. utraque partem in scriptis quam in voce informante audita respondendum censuit:

Ad 1: „Negative quoad primam partem, sed teneri usque ad scalam Palatii Episcopalis, juxta solitum: quo vero ad secundam partem Affirmative.“

Ad 2: „Affirmative.“

Ad 3: „Affirmative.“

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3878 die 11. Maji 1715.

Ad dubia Episcopi Melevitanae:

1) an liceat Magistratui et Capitaneo virgae se introducere et resp. permanere intus aulam seu cubiculum, in quo Episcopus recipit Capitulum, ut deinde cum illo se transferat ad Ecclesiam? Et quatenus negative;

2) usque ad quem locum praecise pervenire ac remanere debeant, donec Episcopus et Capitulum ex eadem aula et cubiculo egrediantur?

3) an iisdem, postquam associaverunt Episcopum usque ad altare SSmi., liceat transire per Presbyterium ad effectum prosequendi ejusdem associationem usque ad locum baldachini? S. C. resp.:

Ad 1: Affirmative; ad 2: Provisum in primo; ad 3: affirmative. n. 3975 ad 1—3 die 20. Mart. 1728.

Ingredienti Episcopo Cathedralem teneatur Magistratus obviam ire usque ad portam lateralem, per quam descendit Episcopus et sic, quando recedit, illum

debet comitari. n. 4015 ad 1 die 9. Maji 1733.

Magistratus cogi potest et compelli remediis a jure statutis ad praestandum Episcopo solitum obsequium, saltem dum consueta Pontificalia celebrat diebus solemnioribus. n. 4611 ad 5 die 5. Mart. 1825.

In dictis diebus solemnioribus Magistratus comitari debet Episcopum ad Templum majus, ab eo recipere asperisionem aquae bened. ac interesse Horae Tertiae in cantu. *Ibid.* ad 6.

Idem Magistratus interesse debet eodem ordine *saltem* 2. *vesp.*, quae cadunt semper in die festo et solemniori. *Ibid.* ad 7.

Praebunt (in accessu Episcopi ex aula ad Ecclesiam) familiares Episcopi et, si aderit, Magistratus aut alii nobiles et illustres viri immediate ante Episcopum. Tunc ipse Episcopus. *Caer. Ep. l. i. c. XV. n. 2. Vd.: Praeses. (c. IX. X.)*

8) Praesentia in aliis Ecclesiis.

Vd.: *Processio* (oblig. Laicor.)

Magistratus tenentur accedere ad Ecclesias Confraternitatum s. Josephi et Charitatis Senogall. et Regularium festivitatis, in quibus est solitus intervenire, solitasque oblationes in eis facere. n. 3861 ad 3 die 23. Sept. 1713.

9) Reverentia.

Vd.: *Missa sol. coram Laicis; Laici; Reverentia; Concinator* (reverent.)

Capitulum et Canonici celebrantes tam in Cathedrali quam extra, postquam ingressi sunt presbyterium pro missis vel vespis celebrantes, induti pluvialibus, sicuti quoties procedunt ad sedendum et redeunt ad altare, sese inclinant cruci, Episcopo et Canonice existentibus in presbyterio, non debent

sese vertere a Presbyterio ad extra et salutare Magistratum. n. 4093 ad 2 die 11. Julii 1739.

Ad dubium 1: An Canonici alique Capitulares vel conjunctim vel seorsim ad chorum euntes vel redeuntes teneantur exhibere actum reverentialem Magistratui stanti in proprio Scamno?

2) In eodem casu affirmativo, an idipsum praestandum quoque sit a Celebrante et Ministris paramentis indutis? S. C. resp.: Ad 1: Affirmative, capite detecto ut in una Camerin. diei 26. Jan. 1664; ad 2: affirmative sed capite tecto. n. 4794 ad 3 et 4 die 27. Aug. 1836.

Si aliquis Praelatus aut nobilis laicus vel ex Magistratu aut Officialibus civitatis Officio vel Missa jam incoepta supervenerit, non prius ad suum locum ibit, quam fecerit genuflexus orationem versus altare deinde reverentiam altari et Episcopo, et Canonicos aliosque nobiles laicos aut Magistratum suosque aequales capitis nutu salutaverit. Et si forte aliquid fiat, ad quod chorus stat vel est inclinatus vel genuflectit per aliquam moram, expectabit resp. stans vel genuflectens vel inclinatus prout ipse chorus, donec ea perficiuntur. Mox factis reverentiis et salutationibus a surgentibus Canonicis et Laicis resalutabitur. *Caer. Ep. l. i. c. XVIII. n. 4. 5.*

10) Sedes.

Vd.: *Presbyterium; Sessio Laicorum; Canonici* (praecedent. super Laicos); *Lavabo Episcopi* (Modus etc.)

Scamnum pro Magistratu, quando solemniter assistit Divinis, esse ponendum extra Presbyterium. n. 1165 die 2. Julii 1639; n. 3336 ad 2 die 7. Aug. 1694; n. 3915 ad 10 die 10. Sept. 1718. Habito ab Episcopo Narnien. recursu contra Magistratum illius civitatis exponendo quod idem, quam-

vis pluries hortatus ac sub poena pecuniaria adstrictus, eique conveniens locus *extra* presbyterium assignatus fuit, Episcopo in Cathedrali assistere semper recusavit, sub praetextu, quod idem in stallis choralibus assistere solebat. S. C. resp.: Magistratum per multam et censuras cogendum esse. n. 3988 die 14. Sept. 1729.

Magistratui in concione non licere occupare locum Capituli et Cleri, qui debet esse dignior immediate post Episcopum. n. 1301 ad 1 die 19. Julii 1642.

In Ecclesia Cathedrali Papien. implementum decreti die 9. Novb. 1657 quoad sedilia Abbatum et Decurionum perpetuo servetur. In reliquis vero Ecclesiis, in quibus Abbates et Decuriones Divinis interesse contigerit, aliqua interposita pariter stabili divisione extrinsecus collocentur. At si loci angustia id alicubi servari non patiatur, extra cancellulos Presbyterii decenti loco, sejunctim a populo, Abbatum et Decurionum sedilia constituentur, ejus videlicet altitudinis, ut vix Presbyterio aequentur; verum ad illa nullatenus anteriori parte palet ascensus, ne pluralitas graduum solii vel throni imaginem praeseferat. n. 2060 die 12. Junii 1660.

Non licere Magistratui Terrae Centi locum occupare in Presbyterio Collegatae. n. 2578 die 26. Mart. 1672.

Magistratui civitatis Andrien. non competere sedem neque in presbyterio neque extra, nec etiam usum pulvinarium, ideoque non esse illi permitendum nisi sedile ligneum panno coopertum absque suppedaneo et extra presbyterium. n. 3240 die 11. Aug. 1691.

Non licet Confratribus Societatis s. Josephi Senogall. in eorum Ecclesia elevare Sedile Magistratus; nec licet in Ecclesiis tam aliarum Confraternitatum quam Regularium consimilem

elevationem facere. n. 3861 ad 1 et 2 die 23. Sept. 1713.

Cum ex parte Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Oppidi S. R. C. expositum fuerit, quod, quamvis Magistratus illius Civitatis transactis temporibus, ex Episcoporum tolerantia, scamnum panno ordinario coopertum in Ecclesia Cathedrali retinuerit, illud panno holoserico viridi aureisque fasciis ornatum et duobus gradibus elevatum ante thronum ipsius Episcopi retinet: propterea ex parte ipsius Promotoris Fiscalis curiae praedictae, pro hujusmodi abusu penitus evellendo, apud S. R. C. acriter institum fuit.

Et S. eadem R. C. rescribendum duxit: „Detur Decretum Episcopo pro executione emanatum in Causa Comen. 28. Aprilis 1668“ tenoris etc., quem omittimus, quia habetur suo apte loco.

Et ita etiam in Civitate Oppidana servari mandavit. n. 3894 die 5. Decembris 1716.

Non licet Magistratui (Terrae Plebis Dioec. Bononien.) retinere scamnum aequaliter elevatum cum scamno Capituli e conspectu Concinatoris, illudque retinere a parte dextera Capituli. n. 3992 ad 2 die 9. Decb. 1730.

11) Thurificatio.

a) Ductus.

Vd.: *Incensatio Laicorum; Confessio.*

Magistratum Imolen. thurificari debere duplici ductu. n. 2731 ad 2 die 18. Maji 1675. Episcopus mandet, Magistratum thurificari dupl. ductu tantum, quacunque consuetudine non obstante. n. 3207 die 11. Mart. 1690; n. 3211 ad 2 die 22. Apr. 1690; n. 3258 die 15. Decb. 1691; n. 3915 ad 2 die 10. Sept. 1718.

Ad dubium: an Magistratus Therami debeatur thurificari dupl. ductu? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 3401 ad 6 die 6. Oct. 1696.

b) Ordo.

Magistratus ante Canonicos thurificetur, quando dicti Canonici *uti singuli* in aliqua Cathedrali assistunt. n. 997 die 6. Mart. 1634.

Magistratus in *Missa de Requ.* non debet thurificari. n. 1186 die 19. Novb. 1639.

Magistratum post Dignitates et Canonicos eodem modo, prout incensantur ipsae Dignitates (civitatis Alban.) et Canonici juxta Caerem. (L. I. c. XXIII.) thurificandum esse. n. 1296 die 2. Mart. 1641; n. 2020 die 20. Decb. 1659; n. 2244 die 4. Aug. 1663.

Magistratum thurificari immediate post Canonicos, modo quid relevans in contrarium non habuerit, quod Capitulum ad S. C. transmittat et interim, ut praefertur, servari jubeat. n. 1811 die 3. Jan. 1657.

Consules et Magistratus Plebis, Bononien. Dioec., thurificandos esse post Canonicos et Mansionarios per eandem personam, quae thurificat Mansionarios. n. 2535 die 21. Mart. 1671.

In Ecclesia s. Petri Tusculanae Magistratum juxta Caerem. Lib. I. c. XXIII. esse thurificandum immediate post Dignitates et Canonicos et ante Beneficiatos, consuetudine in contrarium non obstante. n. 2436 die 21. Apr. 1668.

Magistratus civitatum thurificantur post Dignitates et Canonicos, nisi sint de majoribus et perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos, nisi rursus Canonici sint parati, quia tunc et ipsi thurificantur post Canonicos paratos. Barones et Domicelli sine titulo post Magistratus omnes. Hi omnes ab iis thurificantur, ad quos ex consuetudine id munus pertinet. *Caer. Ep.* I. I. c. XXIII. n. 30.

Magistratus Tusculanae thurificandus est post Subdiaconum paratum. n. 2494 ad 1 die 31. Aug. 1669.

Priores seu Magistratus Cannarae thurificentur post omnes de choro. n. 2798 die 14. Nov. 1676.

Non licere Magistratui Terrae Centi in thurificatione aliisque functionibus Capitulum aut Sacerdotes praecedere. n. 2578 die 26. Mart. 1672.

c) A quo facienda.

Magistratum in *Vesperis* thurificari debere per aliquem ex Beneficiatis assistantibus pluviali indutis. n. 923 ad 2 die 5. Julii 1631.

Civitas et Magistratus Salernit. thurificentur ab Acolyto, et si habeant aliquid in contrarium, deducant in S. R. C. n. 2315 die 21. Mart. 1665; n. 3314 die 13. Junii 1693.

Ad dubium: a quo thurif. sit Magistratus Therami? S. C. resp.: Servetur Solitum. n. 3401 ad 6 die 6. Oct. 1696; n. 4068 die 7. Decb. 1737.

MAGNIFICAT.

Quando standum est?

Vd.: *Chorus.*

S. MALACHIAS.

Vd.: *Commemoratio Omn. fid. def.* (missa decr. n. 4530.)

MANDATUM.

1) Apostol. in Ordinatione.

Ad dubium: In Pontificali Romano legitur: „Antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum“: quaeritur ergo: an quum conferuntur Ordines S. extra Tempora omnino legendum sit Breve Apostolicum facultatem hanc tribuens?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Affirmative juxta Pontificale Romanum.“

Atque ita rescripsit die 23. Maji 1835. n. 4751 ad 5.

2) In Coena Domini.

a) Assistentia Canonicorum.

Lotio pedum facienda est hora congrua determinata ab Episcopo et in loco solito assistantibus omnibus Canonicis. n. 4235 ad 7 die 15. Sept. 1753.

b) Ecclesia.

Cf.: *Pulpitum* (ornatus, decr. n. 4395.)

Mandatum debet fieri in Ecclesia, in loco, in quo populus devote possit interesse, non autem in loco secreto et clauso. n. 13 ad 1 die 20. Mart. 1590.

Urbis. Archiconfraternitatis S. Stigmatum.

Rituale Archiconfraternitatis S. Stigmatum Urbis lib. 4. cap. 12 praecipit, ut Feria V. in Coena Domini expleta Ecclesiastica functione, Sacerdos una cum sodalitatibus Moderatoribus Mandatum seu pedum lotionem faciat. Verum novissimis temporibus, cum nonnullis hic ritus visus fuerit discors ab eo, quem Rubricae Missalis Romani praescribunt, hinc Archiconfraternitatis Moderatores supplicem S. R. C. libellum porrexerunt efflagitantes, nihil in posterum esse innovandum circa ritum praefatum, tenoris, ut sequitur:

Emi. e Rmi. Sigg. etc. „Il Rituale dell' Archiconfraternita delle Sacre Stimmate di Roma al Cap. 12. lib. 4. prescribe, che nel Giovedì Santo la Lavanda dei dodici Apostoli si faccia dal Sacerdote, che ha celebrata la S. Messa unitamente ai Guardiani. Il detto Rituale approvato dalla legittima Autorità fin dall' anno 1711. è stato sempre osservato, avendo pacificamente li Guardiani assieme col Celebrante lavato ogni anno i piedi a dodici in figura di Apostoli.

Decreta authentica. Tom. II.

Negli ultimi due anni però, cioè 1812. e 1813. il Maestro di Ceremonie, e qualche altro Sacerdote hanno proposto delle difficoltà sull' osservanza di tale funzione, appoggiandosi all' Istituzione della Lavanda fatta in origine dal solo Nostro Signore, ed alla Rubrica del Messale, la quale indica, che Praelatus seu Superiør faccia la detta Lavanda. I Guardiani pertanto di detta Arciconfraternita ricorroni all' EE. VV. RR. supplicandole a dichiarare, che la costumanza, di cui si tratta, derivante dal Rituale dell' Arciconfraternita, approvata dalla Sede Apostolica, deve mantenersi, e che perciò i Guardiani possino continuare nel possesso di fare la Lavanda assieme col Celebrante. Sono gli Oratori li Superiori tanto dell' Arciconfraternita, quanto della Chiesa, ond' è analogo alla Rubrica del Messale, che facciano questa funzione. Il farla poi assieme col Celebrante è un privilegio ad essi accordato, e che in materia di Riti dopo tanti anni, sembra, che non gli si possa più togliere. Che etc.“

Et S. eadem R. C., auditis matureque perpensis rationum momentis ab Archiconfraternitatis Patronis allatis, referente Emo. et Rmo. D. Card. Julio Maria de Somalia S. eidem C. Praefecto et Ponente, censuit rescribendum:

„Consuetudinem, de qua in precibus, esse eliminandam servandamque in posterum Rubricam Missalis Romani ad faciendum Mandatum, firma semper manente prohibitione peragendi lotionem pedum in Ecclesia.“ n. 4529 die 22. Martii 1817.

c) Obligatio.

Absente vel impedito Archiepiscopo fer. V. in Coena Dom. lotionem pedum non esse omittendam. n. 1029 die 24. Novb. 1635.